

arbitrata est, scilicet, optare se ut festum illud celebretur in omnibus superius memoratis diocesibus die Dominico diem 29 Junii immediate sequenti, nisi festum ipsum in diem Dominicum incidat. Mens etiam est S. Congregationis ut Episcopi diocesanos suos ad jejunium sabbato quod pridie illius festi est servandum adhortentur.

Denique quod spectat ad pulcherrimam et publicâ quoque commendatione celebratam epistolam vestram Synodalem ad SS̄mum D̄num Nostrum, responsum à Sanctitate Suâ ipsâ subscriptum huic epistolæ adjicio.

Hæc sunt quæ de quarto Provinciali Baltimorensi Concilio tibi à me erant significanda. Reliquum est ut Amplitudini tuæ ipsi ob singularia illa ornamenta vehementer gratuler, quibus cum tantâ religionis utilitate Archiepiscopi munia obeunda curas, et precor Deum, etc.

Romæ, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, die 19 Decembris 1840.

JACOBUS PHILIPPUS CARD. FRANSONI, *Præfector.*

I. ARCHIEPISCOPUS EDESENUS, à *Secretis.*



DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE,
DE DECRETORUM CONCILII PROVINCIALIS IV BALTIMORENSIS CONFIRMATIONE.

CUM Synodum quartam Provinciale Baltimorense, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorense, et Episcopi diocesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, mense Maio anno 1840 celebrantes, SS̄mum D̄num Nostrum GREGORIUM PP. XVI precati fuerint ut decreta ab eâdem Provinciali Synodo condita, Apostolicâ auctoritate confirmaret, si post accuratam eorumdem decretorum considerationem, confirmatione suâ digna illa esse judicasset; S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide habita die 16 Novembris anno 1840, referente Emo ac Rmo D. JACOBO PHILIPPO S. R. E. Cardinali FRANSONIO, Sacri Consilii Præfecto, Synodi sapientiam, religionis incrementa procurandi studium, et Ecclesiasticae disciplinæ custodiendæ sollicitudinem quæ in iis decretis perspicuè apparet, magnoperè commendans, censuit ac decrevit supplandum Sanctitati Suæ ut Archiepiscopi et Episcoporum memoratis superius precibus annuere, et decreta de quibus agitur confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS̄mo Dño Nostro relatam ab R. P. D. IGNATIO CADOLINIO, Archiepiscopo Edesseno, S. Congregationis Secrétaire, in audientiâ diei 22 Novembris 1840, Sanctitas Sua in omnibus benignè probavit, et decreta de quibus sermo est, Apostolicâ confirmatione roborata, in

diocesibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis servanda esse mandavit.

Datum Romæ, ex Aëdibus Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, die 12 Decembris 1840.

JACOBUS PHILIPPUS CARD. FRANSONI, *Præfector.*

I. ARCHIEPISCOPUS EDESSENUS, à *Secretis.*

PETITIONES

SYNODI NOMINE, SS. DOMINO NOSTRO GREGORIO PP. XVI
FACTÆ.

PETITUR DISPENSATIO SUPER JEJUNIO IN VIGILIA FESTI
SS. PETRI ET PAULI SERVANDO.

SANCTISSIME PATER,

EA est disciplinæ diversitas intra Fœderatas has Provincias, quod in quibusdam diocesibus in vigiliâ festi SS. Petri et Pauli jejunetur, in aliis verò non ita, quin festus ipse dies ullibi tanquam de præcepto servetur: ideo supplicandum Sanctitati Vestræ censuimus, re in Concilio Provinciali mature perpetuâ, ut dignetur obligationem jejunii in vigiliâ prædictâ prorsus tollere per totam Provinciam singulasque dioceses, ut ubique eadem vigeat disciplina. Quod de gratiâ et indulgentiâ Sanctitatis Vestræ speramus.

Baltimore, 24 Maii 1840.

Quid eû de re S. Congregatio rescripserit, reperietur suprà, 187.

PETITUR DISPENSATIO SUPER PRÆCEPTO ABSTINENTIÆ
DIE SABBATI, ET PRO VIGINTI ANNIS CONCEDITUR.

SANCTISSIME PATER,

OB graves quibus laborant Fideles harum Provinciarum incolæ difficultates, concessa est, Apostolicæ Sedis indulgentiâ, dispensatio ad decennium à lege abstinentiæ singulis sabbatis, in quibus jejunandum non sit: sed cum eadem adhuc sint adjuncta, censuimus, in Concilio Provinciali congregati, supplicandum esse S. Sedi ut dispensatio fiat perpetua, præsertim cum eâ ratione facilior reddatur Acatholicon ad Ecclesiam reditus. Quod de Sanctitatis Vestræ sapientiâ et gratiâ humiliter speramus.

Baltimore, 24 Maii 1840.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, HABITA DIE 22 NOVEMBRIS.

CUM SSmo D. N. GREGORIO Divinâ Providentiâ PP. XVI relatum fuerit RR. PP. DD. Archiepiscopum Baltimoreensem et Episcopos Fœderatæ Americæ Septentrionalis, in Synodo quartâ Provinciali Baltimorensi, mense Maio anno 1840 habitâ, congregatos, petuisse Apostolicum Indultum prorogari, quo concessum est ut in iis Provinciis die Sabbati, quando præceptum jejunii non obligat, durantibus circumstantiis, dispensare Episcopi possint super præcepto abstinentiæ ab esu carnium; Sanctitas Sua in audientiâ die 22 Novembris 1840, mihi subscripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario tributâ, memoratum superius Indultum, ser-

vatâ ejusdem formâ ac tenore, ad viginti alios annos
benignè prorogare dignata est.

Datum Romæ, ex Aëdibus dictæ S. Congregatio-
nis, die et anno quibus suprà.

I. ARCHIEP. EDESSENUS.

PETUNTUR NONNULLA OFFICIA PER TOTAM PROVINCIAM
CELEBRANDA.

SANCTISSIME PATER,

UT uno ore glorificetur Deus ubique per Fœderatas
has Provincias, Archiepiscopus Baltimorensis et
Episcopi dicecesum omnium Fœderatæ Ameri-
cæ in Concilio Provinciali congregati supplicant
Sanctitati Vestræ, ut dignetur indulgere, ut officia
quædam aliquibus dicecesibus jam concessa, et alia
nonnullis aliis locis communia, quorum catalogum
adnectimus, possint ubique per Fœderatam Ameri-
cam recitari. Quod de indulgentiâ Sanctitatis Ves-
træ speramus.

Officia de quibus agitur, hæc sunt:

- | | |
|--------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 23 Januarii. | Desponsatio B. Mariæ Virg. <i>dupl. maj.</i> festo S. Raymundi de Pen-
naf. translato ad diem 28 Januarii. |
| 17 Martii. | S. Patritii, Ep. et Conf. <i>dupl.</i> |
| 18 | S. Gabrielis, Archangeli, <i>dupl. maj.</i> |
| 22 Maii. | S. Joannis Nepomuceni, Martyris,
<i>dupl.</i> |
| 24 | B. Mariæ V. titulo Auxilium Chris-
tianorum, <i>dupl. maj.</i> |

- | | |
|---------------|---------------------------------------------------------|
| 16 Junii. | S. Joannis Francisci Regis, Conf.
<i>dupl.</i> |
| 21 | S. Aloysi Gonzagæ, Conf. <i>dupl.</i> |
| 2 Augusti. | S. Irenæi Episc. et Mart. <i>dupl.</i> |
| 24 Octobris. | S. Alphonsi de Ligorio, Episc. et
Conf. <i>dupl.</i> |
| 14 Nov. | S. Raphaelis, Archangeli, <i>dupl. maj.</i> |
| 18 Decembris. | S. Stanislai Kostkæ, Conf. <i>dupl.</i> |
| | Expectatio Partûs B. Mariæ Virg.
<i>dupl. maj.</i> |

FESTA MOBILIA.

- | |
|------------------------------------------------------------------------------------------|
| Feriâ 6 post Dom. Quinquag. SS. Passionis D. N.
J. C. <i>dupl. maj. ad libitum.</i> |
| Feriâ 6 post Dom. 1 Quadrag. SS. Spineæ Coronæ,
<i>dupl. maj. ad libitum.</i> |
| Feriâ 6 post Dom. 2 Quadrag. De Lanceâ et Clavis,
<i>dupl. maj. ad libitum.</i> |
| Feriâ 6 post Dom. 3 Quadrag. De quinque Vulne-
ribus, <i>dupl. maj. ad libitum.</i> |
| Feriâ 6 post Dom. 4 Quadrag. Pretiosissimi San-
guinis, <i>dupl. maj. ad libitum.</i> |
| Dom. 3 post Pascha, Patrocinium S. Joseph, <i>dupl.</i>
<i>2 classis.</i> |
| Feriâ 6 post Oct. SS. Sacramenti, Festum SS. Cor-
dis Jesu, <i>dupl. maj.</i> |
| Dom. 3 Octobris, Maternitatis B. Mariæ Virg. <i>dupl.</i>
<i>maj.</i> |
| Dom. 2 vel 3 Novembris, Patrocinii B. Mariæ Virg.
<i>dupl. maj.</i> |
| Officium SS. Sacramenti, per annum, <i>semid.</i> |
| Officium Conceptionis B. M. V. per annum, <i>semid.</i> |

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE,
DE SUPRA MEMORATIS OFFICIIS.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, die 16 Novembris 1840 habitâ, referente Emo ac Rmo D. JACOBO PHILIPPO S. R. E. Cardinali FRANSONIO, S. Consilii Præfecto, actum fuerit de petitione superius expositâ, quam ex Synodo quartâ Provinciali Baltimorensi, mense Maio 1840 celebrata, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provincia rum Episcopi SSmo Dño Nostro, communi suffragio, faciendam statuerunt; S. Congregatio censuit ac decrevit Sanctitati Suæ supplicandum ut, rubricarum præscripto diligenter servato, Synodi memoratæ precibus annuere dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro GREGORIO PP. XVI relatam ab R. P. D. IGNATIO CADOLINIO, Archiepiscopo Edesseno, S. Congregationis Secretario, in audienciam diei 22 Novembris 1840, Sanctitas Sua benignè probavit, et pro omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcēsibus petitam superius facultatem impertita est.

Datum Romæ, ex Aëdibus Sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, die 12 Decembris 1840.

J. PHILIPPUS CARD. FRANSONI, *Praefectus.*

I. ARCHIEPISCOPUS EDESSENUS, *à Secretis.*

RESPONSA

S. CONGREGATIONIS RITUM AD NONNULLA QUÆSITA
CIRCA OFFICIA SUPERIUS MEMORATA.

BALTIMOREN.

DECIMO Kalendas Decembri superiori anno 1840, ad enixas preces Patrum quartæ Synodi Provincialis Baltimorensis, SSmus Dñus Noster GREGORIUS Papa XVI impertitus est pro omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus nonnulla intra annum officia Sanctorum, quæ dum in kalendariis ordinabantur, nonnulla excitata sunt dubia, ad quorum solutionem, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requirendam constituit alter ex Directoribus Seminarii S. Mariæ Baltimorensis, cui cura demandata est nonnulla Fœderatæ ipsius Americæ kalendaria efformare pro regulari iisdem in diœcesibus divinorum officiorum celebratione. Proposita itaque dubia sunt sequentia, nimirum:

1. Concessum est Officium S. Irenæi, Episc. et martyris, nullâ assignatâ die quâ recitari debeat. Cùm autem hoc festum in martyrologio pronuntietur die 28 Junii, quæritur an de eo fieri debeat hac ipsâ die 28 Junii, festo S. Leonis ad diem septimam Julii fixè translato.

2. In Indulto Apostolico exprimitur Officium S. Irenæi simpliciter, et sine addito. Porrò ea fuit mens Patrum Concilii Baltimoren. petere pro hoc Officio prout Lugduni in Gallia celebratur: at ex quibusdam Romani Breviarii editionibus videtur quòd

id festum Lugduni celebretur de S. martyre Irenæo Episcopo, et sociis ejus. Quæritur itaque utrum in hisce Fœderatæ Americæ Diœcesibus faciendum sit de S. Irenæo tantum, vel de SS. martyribus Irenæo Episcopo, et sociis ejus?

3. Si Officium sit de S. Irenæo tantum, unde nam sumendæ sunt lectiones secundi et tertii Nocturni, ac Missa?

4. Si fiat de S. Irenæo et sociis ejus, possuntne tanquam approbatæ haberi illæ lectiones Lugduni in Galliâ recitatæ ab illis qui Romano Breviario utuntur?

5. Sanctitas Sua benignè concessit sequentia Officia singulis Feriis sextis Quadragesimæ *ad libitum* recitanda sub ritu duplicis majoris, nempè Commemorationis Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum, Sacrorum quinque vulnerum, et Pretiosissimi Sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat festum altioris ritûs, quæritur an suprà memorata Officia transferri possint ad primam diem non impeditam intra Quadragesimam.

6. Inter Officia nuper concessa omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœcesibus, sunt Officium SS. Sacramenti in feriis quintis, tum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in sabbatis per annum. Porrò hæc eadem Officia jamdudum à Pio VI sa. me. concessa fuerant Baltimorensi, et quibusdam aliis Diœcesibus cum eo privilegio, ut iis Presbyteris qui in prædictis Feriis, iter aliquod suscipere deberent pro visitandis catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare, et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Adventûs, Quatuor Temporum, et Quadragesimæ. Quæritur an recenti con concessione suprà memoratum privilegium revocatum

sublatumque fuerit, vel adhuc perseveret; et posito quòd perseveret, utrum ad omnes Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœceses extendatur, et pertineat?

7. Utrum in Anniversariis Creationis et Consecrationis Summi Pontificis, pro tempore regnantis, in universâ Ecclesiâ dici beat vel possit in Missâ Oratio, *Deus omnium fidelium*; et quatenus affirmativè, an hæc Oratio dicenda sit etiam in Festis primæ et secundæ classis?

Emus itaque ac Revñus D. Cardinalis CAROLUS MARIA PEDICINI, Episcopus Portuen. S. Rufinæ et Centumcellarum, S. Romanæ Ecclesiae Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sño Dño Nostro tributarum, omnibus maturo examine libratis, rescribi mandavit:

Ad 1. Servetur dies Martyrologii Romani.

Ad 2 et 3. De S. Irenæo tantum, cum lectionibus secundi Nocturni adprobatis die 27 Aprilis 1784.

Ad 4. Jam provisum.

Ad 5. Affirmativè, et intra Quadragesimam tantum.

Ad 6. Præcedens Indultum manet in suo robore, nec extendi potest sine novâ concessione.

Ad 7. Collecta pro Summo Pontifice in diebus Creationis et Coronationis dici debet, et sub unicâ conclusione in duplicibus secundæ Classis.

Die 22 Maii 1841.

C. M. EP. PORTUEN. CARD. PEDICINUS, S. R. E.
Vice-Cancellarius, S. R. C. Præfector.

I. G. FATATI, S. R. C. Secretarius.